



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

58. An Confessarius possit absolvere moribundum, qui in ejus absentia confessionem petiit, vel signa pœnitentiæ fecit, aliquo hoc testante. Idem infertur de petente Baptismum, & Extremam-Vnctionem, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



si corpore prius famis voce amissa, cadens ad interitum moreretur? Et quid est dicendum de illo, qui significans se cupere confiteri, & ideo ad genus Sacerdotis accedens subitro appropria tangitur, antequam illud verbum profert, an talis sit absolvendus? Ex p. 3. tr. 3. Ref. 2.

§. 1. Respondet negativè Megala in 1. p. lib. 1. c. 11. n. 8. Thomas à Iesu in Tribunali conscient. c. 2. §. 1. c. in fine. Ioannes Franciscus Suarez in Enchiridio casuum conscientia lib. 5. verb. Confessor. fol. 3. §. 6. §. petens Confessarium. Bonacin. de Sacram. disp. 5. §. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. n. 6. & Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 2. 3. sect. 1. n. 11. ubi docent, moribundo in tali casu non sat esse adhibere signa contritionis; sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad claves, petendo confessionem, seu vocando Sacerdotem, saltem signo, vel nutibus; quod non accidit in casu proposito. Ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus, affirmativam sententiam tenet Zambranus de cast. tempore mortis, cap. 4. dub. 2. sect. 4. Pharaonius de Sacram. Penit. tr. 1. sect. 16. cap. 15. & Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. eo quod signa penitentia, quae praesente mortis periculo ab infirmis eduntur, conferri debeant ad sacramentalem absolutionem directam, cum in tali statu optimum sub animae remedium desiderare soleant. Quapropter, licet infirmus in phrenesim lapsus absolvi non possit, etiam cum sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundum morem pulsaret, aut sublati oculis in caelum dixerit, Miserere mei Deus; tamen si talia signa edidit morti vicinus, cum plura verba proferte non possit, praesumptio plerumque fieri potest, quod sacramentalem absolutionem à Sacerdote petiverit. Ita Layman.

3. Et ante illum, hanc sententiam docuerat etiam Ioannes Chapeavilla tr. de Sacramentis ministrandis tempore peccati, c. 3. §. 11. & quia Codex rarus est, ponam eius verba. Querit igitur, an Parochi teneantur absolvere infirmos signa contritionis ostendentes, & respondet, teneri absolvere sub conditione; quia (ait ille) in casu extremae necessitatis in quo veramur, non requiritur expressa, sed sufficit tacita petitio confessionis. Et probatur primò, auctoritate D. Augustini serm. 44. Tunditur, inquit, pectus, ut arguatur quod latet in pectore, ut evidenti pulsus occultum calligetur peccatum; reddit enim rationem, quare qui audiunt Confiteor, tundunt pectus, scilicet ut manifestent peccatum, & sic illud castigent. At huiusmodi manifestatio peccati est confessio saltem tacita ad eius remissionem; ergo in illis signis reperitur confessio. Secundo, signa contritionis manifestant contritionem de peccato, quia aliter non essent eius signa. Ergo manifestant peccatum, ut remittatur, contritio enim est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso. Tertio, quia in illo articulo signa illa fieri non solent, nisi ad manifestationem peccatorum, quae pungunt conscientiam, & quorum remedium queritur medicina penitentiae; vult enim existens in illa necessitate declarare signis illis contritionis, quod non potest voce, qua libenter si posset confessionem peteret; nam videmus etiam maximos peccatores, si vel unicum verbum proferte possint, ardentissime illo tempore, efflagitare confessionem.

4. Nec valet dicere, quod in illis signis contritionis sit inclusa aliqua peccatorum confessio, sed non illa quae fit Sacerdoti, quae sola est sacramentalis. Respondet, etiam Sacerdoti faciendam contineri. Qui enim petit absolutionem verbis expressis, vel signis contritionis, non petit illam à laico, sed ab Ecclesia, & eius ministro, qui habent potestatem absolvendi peccata, atque aded à Sacerdote, & ita idem

est petere confessionem, vel absolutionem, verbis vel signis contritionis, ac dicere, Aliquis Sacerdos absolvat me à peccatis, quae his verbis, vel signis contritionis manifesto in genere, meliori modo quo nunc possum. Haec omnia Chapeavilla, quae per Confessarij in mente teneant, & illa in praxim, me consulente, & impellente deducant, absolvendo supradictos infirmos sub conditione.

5. Notandum est tamen hic obiter ex supradictis, Sacerdotem, qui sano corpore nihil de mortis periculo suspicans Missam inchoasset, & in fine introitus decidisset mortuus, non posse à peccatis absolvi, licet generalem confessionem fecisset ad Deum coram ministro, & Ecclesia; quia illa confessio non fuit sacramentalis, neque directa ad accipiendam absolutionem in foro penitentiae. Ita Layman ubi supra. Contrarium tamen dicendum est de illo, qui significans se cupere confiteri, ideoque ad genus Sacerdotis accedens, subito apoplexia tangitur antequam aliud verbum profert; talem enim instante mortis periculo absolvendum esse non dubito; quia in ordine ad confessionem sacramentalem dedit generalia signa, quibus ostendit se peccasse, & de eo dolere. Ita Coninch. in responsione pro absolutione moribundi, n. 16. quidquid dicat Coquetius in dissertat. de absolutione per literas, c. 7. n. 21.

Sup. hoc infra in Resol. 64. §. ult. ad medium, & in Res. 65. §. Pellizzarius

RESOL. LVII.

An sit absolvendus moribundus si exhibeat supradicta signa, sed dubitatur, an sint orta ex contritione, vel ex angustia mortis? Ex p. 3. tr. 3. Ref. 3.

§. 1. Respondet affirmativè cum Sancio in selectis disp. 44. n. 35. in fine, ubi sic ait: Sub conditione impertienda erit absolutio; quando ambiguitas intercedet, num signa sint ex dolore orta, vel ex angore, & angustia mortis, cum prodesse possit infirmo, & non obesse sacramento; vitatur namque sacrilegij periculum conditione apposita, sic ille: & ita etiam docet Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. ubi hoc pacto asserit: Si consideratis circumstantiis, & examinatis his, coram quibus talia signa edita sunt, res dubia esse videatur, absolutio tamen conferri poterit sub conditione; si talis materia confessionis sufficiens sit ad absolutionis ministracionem.

Sup. hoc infra in Res. 65. §. Ayerla, eustim ante medium, verbi. Sic quando, & cum eodem Sancio tantum hic citato in to. 8. tr. 1. Ref. 3. §. Imo, breviter in fine.

RESOL. LVIII.

An Confessarius possit absolvere moribundum, qui in ejus absentia confessionem petiit, vel signa penitentiae fecit, aliquo hoc restante? Idem inferitur de petente Baptisimum, & Extremam-Untionem, si post petitionem amisit loquelam. Ex part. 3. tr. 3. Ref. 4.

Sup hoc in tom. 8. tr. 1. Refol. 3. à lin. 5. & Resol. cita à in lin. 2. huius textus hic est supra Refol. 55. & supra in tr. 3. Refol. 74. signanter iacter medium & finem §. 1. verbi. unde Alvarez, & in to. 4. tr. 3. Refol. 155. à lin. 1. & lege can. usque ad §. ult.

§. 1. Negativè respondet à fortiori DD. citati in resol. 1. in principio, & novissime docent hanc sententiam Petrus Fay de Sacram. Penit. in addit. ad 3. p. D. Thom. q. 9. art. 3. disp. 3. ad 9. argum. Franciscus Coquetius dissertat. de confessione per literas, c. 7. n. 21. Didacus Alvarez in p. 2. D. Thom. q. 19. art. 6. disp. 86. per totam. Latorius tr. de indulgen. p. 2. c. 10. n. 130. & hanc sententiam ex Theologis Societatis Iesu, tenet novissime Turrianus de penit. q. 9. art. 2. disp. 32. dub. 4. & ex nostra Religione Alphonsus de Leone tract. de officio, & potestate Confessar. tom. 1. recollect. 16. n. 123.

2. Probatur primò, quia confessio facta Sacerdoti, & accusatio propria propriorum peccatorum, est materia essentialis, & proxima sacramenti





Pœnitentia; sed in nostro casu moribundus cum vocavit Sacerdotem, vel signa contritionis effecit, nullam dedit materiam Confessario, (quia erat absens,) quamvis adstantibus dederit. Ergo absolvendus non est ex defectu materiæ, & Sacerdotis. Confirmatur, quia, ut infra videbitur, Clemens VIII. damnavit confessionem factam absente Sacerdote, sed talis est confessio de qua loquimur. Ergo, &c.

3. Secundò, Canones, qui contra hanc sententiam adducuntur, intelligendi sunt, ut vult glossa in c. 8. caus. 26. q. 6. de absolutione à censuris, quæ dari potest etiam in vitis; non verò de absolutione sacramentali confessionis, de qua loquimur.

4. Tertio, Rituale, seu Manuale Romanum, quod adducitur, est à Doctore confectum, & illius auctoritatem non excedit, neque consensum Pontificis, aut iussio, qua conscriptum fuit, & evulgatum, confert aliquod pondus rebus, quæ in eo præscribuntur, quia non præcæsit serium, aut sufficiens Theologorum examen.

5. Quarto, ad litteras Bellarmini, & Episcopi Armacani asserentium mentem Clement. VIII. dicendum est de illis authenticè non constare, & si constat authenticè, dicunt Pontificem respondisse ut privatum Doctorem: & sic in casu alio ad quandam Pontificiam responsum, respondet Henriquez lib. 1. c. 3. n. 4. in glossa littera P. Suarez tom. 3. quæst. 66. art. 6. disp. 21. sect. 3. Valentia tom. 4. disp. 4. quæst. 1. punct. 3. Sotus in 4. sent. disp. 3. quæst. unica, art. 6. Canus de locis Theolog. lib. 6. c. 8. Catharinus contra Cajetanum lib. 5. c. 3. Vega in Concil. Trident. lib. 9. c. 4. & 5. Bellarminus tom. 1. de Romano Pontif. lib. 4. c. 12. & alij. Et hæc sunt præcipua argumenta, quæ pro eorum firmata sententia, adducunt Coquetius, Fay, & alij ubi supra.

6. Sed ego prolixius adversus illos affirmativam sententiam tenendam esse puto; quam nobiscum tenet Angelicus Doctor D. Thomas opusc. 6. §. 5. de Extrema unct. ubi sub fine, ita ait. Si autem infirmus, qui petit unctioem, amisit notitiam, vel loquelam, antequam Sacerdos adveniat, quia in tali casu (quo scilicet aut Baptisimum, aut absolutionem simili ratione petiisset, juxta dicenda à nobis) debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi. Ita ille; & nescio quomodo clarius nostram sententiam docere potuisset; aut qua ratione ejus verba in alium sensum, vel apparenter detorqueri possent. Idem etiam docet ex discipulis D. Thomæ doctus Pater Joan. de la Cruz in directorio conscientia, p. 2. de Sacram. Pœnit. q. 3. dub. 8. concl. 2. & hæc opinio est communis in schola Patrum Societatis Jesu, & illam tenent Maldonatus in summa casuum conscientia, q. 19. art. 14. Valquez in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 1. n. 4. & 5. & in p. 2. disp. 62. cap. 5. n. 40. Suarez tom. 4. disp. 23. sect. 1. §. de eo qui confessionem petit. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1. Coninch de Sacrament. disp. 7. dub. 10. n. 99. Reginaldus in praxi tom. 1. lib. 8. c. 3. n. 28. Fillucius tom. 1. tr. 7. c. 5. n. 122. Fagundez præcept. 2. lib. 3. c. 1. n. 16. Toletus lib. 3. c. 8. n. 2. Becanus de Sacram. c. 36. q. 2. n. 1. Fernandez in instruet. Sacerd. docum. 4. n. 32. Emanuel Sà verb. absolutio, n. 10. Henriquez lib. 5. c. 2. n. 7. & lib. 6. c. 30. n. 7. Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 6. c. 8. n. 4. & alij. Idem docent ex nostra Religione Naldus in summa, ver. infirmus, n. 8. Megala in 1. p. lib. 1. c. 11. n. 8. Molfestus in sum. tom. 1. tr. 7. c. 5. n. 4. & alij. Et tandem præter citatos Doctores, docent etiam hanc sententiam Pontius de matris, lib. 2. c. 25. n. 8. Thomas à Jesu in Tribunali conscient. cap. 11. §. 10. Chapeavilla tract. de Sacram. tempore pestis, cap. 3. q. 30. Zambranus de cas. tempor. mort. c. 4. dub. 2. per totum. Pharaonius de Sacram. Pœnit. tr. 1. sess. 16.

Sup. hoc in to. 1. tr. 1. late in Refol. 189. & in Refol. ejus not.

Pro contentio in hoc §. Tertio Rituale, infra in §. Ad tertium, hujus Ref. &c.

Sup. hoc infra in Refol. 61. & legem per totam, ut magis clarescat doctrina hujus §. & Ref.

cas. 16. Corduba in questionario lib. 3. q. 39. Medina tr. 2. de confessione, q. 39. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. disp. 17. quæst. unic. art. 8. concl. 4. & 5. Sylvius in addit. ad 3. p. D. Thom. q. 9. art. 2. quæritur 4. cas. 2. Montefianus in p. 2. D. Thom. disp. 29. q. 5. n. 176. Ludovicus de San Iuan in sum. tom. 1. tr. de Pœnit. q. 5. art. 19. dub. 6. Coriolanus de casib. reservat. p. 1. tr. 9. diffi. 37. n. 6. Bellocius in praxi Theol. mor. p. 1. q. 2. n. 112. Antonius de Literatis in sum. p. 1. c. 35. n. 7. & alij penes ipsos.

7. Probatum primò hæc opinio ex auctoritate Conciliorum, nam in Arauciano I. c. 12. sic habetur. Subitò obmutescens, prout statutum est, pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu, & hic canon citatur in cap. qui recedunt 26. q. 6. Idem habetur in Concilio Carthaginensi IV. c. 76. cit. in c. 8. eadem causa, & q. & in Concilio Carthaginensi III. citato in c. egrosantes, de consecr. dist. 4. & S. Leo Papa Epist. 89. hoc clarè determinat; quod postea in Rituali Romano constitutum fuit, ubi sic habetur. Si inter confitendum, vel etiam amittentem incipiat confiteri, vox, & loquela ægri deficiat, nutibus, & signis conetur (scilicet Sacerdos) quoad ejus fieri potest peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, five per se, five per alios ostenderit, absolvendus est. Sic Romanum Rituale editum anno 1615. de quo paulò infra.

8. Probatum secundò rationibus; quia talis moribundus, eo quòd ostendit se dolere de peccatis cum signis contritionis, vel etiam peti Sacerdotem à quo absolvetur, fatetur se peccasse, petique ut adstantes, tanquam suæ voluntatis interpretes, id Sacerdoti præsentem denuntiet, ab eoque absolutionem pro se petant; casu quo id per se facere non possit; ergo dum hi id faciunt, ipse per eos, tanquam per suos interpretes, præsentem Sacerdoti confitetur. Igitur in tali casu infirmus, qui ostendit, & habet, & indicat præsentem, & absolutam voluntatem confitendi, confessionem de facto moraliter inchoatè confetur; præsentia autem Sacerdotis, postea advenientis, coram quo qui ante præsentem fuerant, moribundi voluntatem, ac desiderium testantur, ac tanquam horum interpretes Sacerdoti explicant, non solum ut adversarij obijciunt, est merè materialis, & quasi per accidens, sed etiam verè humana, & formalis; quia ipse ex auditis, & visis humano modo, quantum potest in tali casu fieri, judicat de statu pœnitentis, & idè nostram sententiam tenuit Clemens VIII. qui interrogatus, an moribundus in casu de quo loquimur deberet sacramentaliter absolvi, respondit debere absolvi, & se eum absoluturum eumque casum suo decreto nullo modo comprehendere.

9. Restat modò respondere ad argumenta contraria. Et ad primum patet responsio ex dictis; quia in tali casu, ut supra diximus, cum talis ostendat exterius se dolere de peccatis, ac velle confiteri, petatque in hunc finem Sacerdotem accessitri generatim jam incipit confiteri, simili ferè modo atque is, qui per interpretem confitetur, dum huic sua peccata dicit, ut Sacerdoti, deinde ea explicet; quare dum adstantes postea Sacerdoti præsentem pœnitentiam, & desiderium moribundi explicant, instar interpretum ipsius confessionem Sacerdoti exponunt, atque ipse per hoc Sacerdoti jam præsentem confitetur, atque ita sufficientem materiam absolutionis præbet. Unde patet responsio ad Decretum Clement. VIII. nam in nostro casu negamus confessionem omninò absenti fieri, ut notat Sylvius in 3. p. q. 9. art. 3. concl. 3. Fagundez, Coninch, & alij, ubi supra.

10. Ad secundum argumentum, quòd Canones adducti



adducti, ut vult glossa in c. 8. *caus.* 26. q. 6. loquantur solum de absolutione à censuris, gratis dicitur, quia primò ibi nulla fit mentio censurarum, sed loquuntur generatim de omnibus, qui ex infirmitate subito obmutescunt; qui non nisi temerè possunt generatim præsumi esse censuris ligati. Secundo Canones illi comparant hanc reconciliationem cum Baptismo; ergo loquuntur de vero Sacramento. Tertio loquuntur de reconciliatione, quae requiritur ante sumptionem Eucharistiae; quae respectu eorum, de quibus dubitatur, an sint in peccato mortali, debet fieri per susceptionem Sacramenti Penitentiae. Quarto, quia si in hoc ita Concilia, & Patres interpretantur, nescio quo pacto ex illis Sacramentum Penitentiae probavimus.

11. Ad tertium argumentum de Romano Rituali respondet fusc Coninch in *responsione contra Coquetium*, n. 38. ubi probat ex Bulla Pauli V. illi Rituali præfixa, fuisse editum cum consultatione Cardinalium, & ex autoritate Apostolica typis prodidisse.

12. Ad quartum argumentum de reponitione Clement. VIII. facta 1608. die 16. Aprilis, adducit ejus exemplar Coninch *ubi supr. post n. 61.* ex Epistola illi data ab Archiepiscopo Armacano sub die 6. Junij anno 1624. Et quamvis Pontifex, privatim interrogatus, hoc responsum dederit, nec per id, ut Pontifex aliquid, cui omnes teneantur assentiri, definitur intenderit, firmiter tamen probat, id quod eo probare præcipue intendimus, scilicet, illum eam ipsius decreto nullo modo comprehendendi; ipse enim optimè mentem suam, quid in illo suo decreto damnare intendere, scire potuit. Igitur remanet satis firmata nostra sententia ex autoritate Conciliorum, Canonum, responsionum, Pontificum, & ex validissimis rationibus, quas tot DD. asserunt, & sequuntur; unde valde miror Coquet, *ubi supr. in dissert. de confessione per litteras* c. 10. n. 40. docuisse illam in praxi non esse probabilem; sed pro explicatione hujus sententiae aliud dubium erit etiam explicandum. Queritur igitur.

RESOL. LIX.

Quot testes in supradicto casu debeant testificari Confessario de signis contritionis moribundum, vel quod confessionem petierit?  
Et an oporteat testem esse Christianum, aut infidelem, vel haeticum, &c. Ex p. 2. tr. 3. Ref. 5.

§. 1. Videtur prima facie respondendum, plures testes necessarios esse ex Concilio Carthaginensi IV. c. 76. & ex c. 15. q. 26. q. 6. ibi, *de testimonio, qui eum audierunt*, & ex Concilio Aragonico I. c. 12. & ex c. qui recedunt 26. q. 6. ibi, *testimonium aliorum verbis habet*; & ex Leone Papa Epist. 89. ibi, *testimonia eis fidelium circumstantium*, in quibus Concilia (ut patet) in numero plurali loquuntur. Ergo, &c.

2. Sed in tali casu sufficere unum testem, docet Sancius in *select. disp.* 44. n. 35. qui citat pro hac sententia Raynaudum, & Grassum; & quidem Felinus in *conveniensi* el. 1. n. 8. *de testib.* tenet standum fore dicto unius testis, ubi non agitur de prejudicio alterius, modò juret. Sed jurare in nostro casu necessarium non est, quia maximè impium esset mentiri. Nec oportebit testem esse Christianum, aut infidelem, aut haeticum, de his enim præsumi non potest affirmare quod falsum est, ut fiat Sacramentum, præsumendum tamen esset è contra, non testaturos signa penitentiae esse tradita, ne ministraretur Sacramentum verum; adhuc in eo eventu, puto Sacramentum ministrandum sub conditione, scilicet, si verum est,

Tom. I.

te signa penitentiae ostendisse; absolvo te à peccatis. Et haec omnia Sancius, & ante illum Zambranus de *Sacram. tempore mortis* cap. 4. dub. 2. & Reginaldus in *praxi* tom. 1. lib. 8. c. 3. n. 8. Sed potnam hic aliud dubium.

RESOL. LX.

An quem paulo ante in periculo mortis Confessarius audierat, & non absolverat, si postea superveniens invenit adhuc vivum, sed amisisse sensum, possit illum absolvere? Ex p. 3. tr. 3. Ref. 6.

§. 1. Affirmativè respondet Joannes Chapeavilla *tr. de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis* c. 3. q. 13. Zambranus de *cas. tempore mortis* c. 4. dub. 2. *sect.* 7. n. 41. dummodò non constet talem voluntatem penitendi mutasse; quia ponitur dispositio sufficiens ad suscipiendam absolutionem, & reperitur confessio non tantum in genere, sed etiam in specie. Ergo, &c.

2. Nec valet dicere, quod potest contingere infirmum penitentem interim mutasse voluntatem confitendi; nam respondeo cum Chapeavilla *ubi supra quest.* 12. quòd ferè impossibile est, ut quis existens in articulo mortis, & desiderans confiteri, mutet ita citò voluntatem. Secundo circumstantes, qui fuerunt, possunt testificari; an viderint signa mutationis voluntatis illius. Et tertio, quia idem inconveniens potest saepius contingere in matrimonio contracto per procuratorem; quod tamen est in usu Ecclesiae, & verum Sacramentum. Ergo, &c. Sed quartum dubium principale explicandum videtur; Unde quaero.

RESOL. LXI.

An ad absolvendum moribundum sit sufficiens notitia mediata, quae ex testibus mediatis proveniat?  
Et an in praedicto casu, secusa omni attestatione testium, possit Sacerdos illum moribundum sensibus destitutum absolvere sub conditione?  
Imò, an ad id teneatur? Ex p. 11. tr. 7. & Mil. 7. Ref. 31.

§. 1. Quod est quaerere, an possit Sacerdos absolvere moribundum, quando ij, qui testantur de voluntate, & petitione confessionis, non audierunt hoc ab ipso infirmo, sed de aliis, atque adeo non sunt testes immediati, sed mediati. Ratio dubitandi esse potest, quia in praedictis decretis videtur requiri testimonium eorum, qui ab infirmo audierant. Sic loquitur Concil. Carthag. IV. *can.* 67. supra adductum, ubi dicitur, *desit testimonium, qui eum audierat & accipiat penitentiam.*

2. Verùm his non obstantibus affirmativè sententiae adhaerendum esse puto, quam tuetur Martinus de S. Ioseph in *man. confess.* tom. 1. lib. 5. tr. 16. *de penit.* num. 7. ubi sic ait; Pero si los testigos de quien oyo el confessor las señales de penitencia no son los mismos, que las vieron en el enfermo, sino otros, que las oyeron afirmar à los primeros, aunque niegan graves Autores, que puede el confessor absolver al penitente con este testimonio incerto, es probable que quede ser absuelto debaxo de condition, porque basta el testimonio mediato para cosa tan grave, y de importancia, como absolver à uno en el articulo de la muerte, y al Sacramento non se le haze agravio con la condicion de la absolucion. Pruebalo Lugo *disp.* 17. num. 81. pruebase porque conditio nihil ponit in esse, & ideo actus conditio-

Y 3 nalis;